



Disputationis theologicae textualis ad locum 1. Tim. 3. 15. pars tertia

<https://hdl.handle.net/1874/341647>

DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ
TEXTUALIS

Ad locum i. Tim. 3. 15.

PARS TERTIA.

2 V K A M

Favente Deo Opt. Max.

P R E S I D E

D. MATTHIA NETHENO, S. S. Theo-
log. & Phil. Doctore & illius in alma Academia
Ultrajectina ordinario Professore.

Publicè defendere conabitur.

WILHELMUS ISAACUS NETHENUS Reesensis.
Ad diem 26. Mart. horā locoq[ue] solitis.



ULTRAJECTI,
Ex Officinâ Johannis à Waesberge,
M. DC. LVI.

Venerandis, Doctissimis ac Pientissimis Viris,

- D. JOHANNI WILHELMO NETHENO,
Patri suo.
D. JOHANNI NEOMAGO Avo suo materno:
filiali affectu & obsequio honorandis.
D. SAMUELI NEOMAGO, Avunculo suo:
D. ABRAHAMO TIELENIO, Affini suo:
D. JOHANNI LUYS CIO Affini suo.
omni honore ac officio colendis:

*Verbi Divini, in Ecclesia Reeffensi, Barlenfi, Sambeecen-
si, Neomagensi, Reppelenfi, Dispensatoribus fidelissimis.*

U T E T

Clarissimis, Doctissimis, Spectatissimisque Viris,

- D. JOHANNI LEUSDEN, L. A. M. Linguæ
Sanctæ.
D. DANIELI VOET, L. A. M. Metaphysices ac
Logices, in Alma Academia Ultrajectina Professoribus
dignissimis, subtilissimis, Præceptoribus meis obser-
vandis.

Hanc disputationem Theologicam

Offert ac Dedicat

WILHELMUS ISAACUS NETHENUS

Resp.

Ex Officina Iohannae Wacpeli
M. DC. LVI.

DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ
TEXTUALIS

Ad locum I. Tim. 3. 15.

P A R S T E R T I A.

T H E S I S X V.



Stenso ha&tenus verba hæc Apostoli *σύλλογος*;
ἰδεῖται μακρὸν ἀληθέρως, non ad sequentia, sed ad
proximè præcedentia, juxta vulgatam inter-
punctionem referenda esse, ac de Ecclesia Dei
prædicari, illiusque continere elogium quod
primo loco nobis erat propositum: nunc cùm
Ecclesia variè distinguitur, secundo loco in-
dagandum & ostendendum est de quanam Ecclesia verba hæc
prædicens, & cui hæc denominatio ac elogium competit? Est
hæc disquisitio propter Papistas, contra quos hæc vindicæ propriæ
institutæ sunt, quam maximè necessaria. Sicut enim quondam a-
pud Athenienses Thrasylaus, ex phrenesi suaviter delirans, quas-
cunque naves in Pyræum appellantes videbat, suas rebatur &
velut ob suas gaudens exultabat: ita spirituali phrenesi laboran-
tes Papistæ, ad æternam suam perniciem, quicquid uspiam in Scri-
ptura de Ecclesia Novi Test. magnificè dictum occurrit, id sibi
quidem suavi, nobis ridendo dicam an deplorando delirio? Suæ
& Romanæ Ecclesiæ elogium esse arbitrantur, ob id lætantur &
cristas attollunt & se magnificè apud quosvis jactant. Ergò ut
hic ipsis error, si pote, eximatur aut alii fallacibus & thrafonicis
eorum declamationibus in eundem non pertrahantur aut com-
moveantur; operæ pretium est despicer, de quanam Ecclesia ve-
rè & propriæ prædicens hæc verba Apostoli & quoisque Ro-
manæ & Papistica Ecclesia hic in considerationem venire possit &
hoc Apostoli elogium illi applicari? Id ut rectè fiat, præcogno-
scendum breviter, quid nomine Ecclesiæ, non in Papatu, sed in
Scripturis designari soleat, & quid Scripturis conformiter à The-
ologis designari possit.

A

Pr-

XVI. Primo, ut alias communiores & politicas & à nostro instituto alienas significationes omittamus, Ecclesia accipitur pro universitate hominum electorum & secundum propositum electionis ab initio mundi ad communionem cum Deo in Christo vocatorum & ad finem usque mundi vocandorum & cœlesti beatitudine ac vitâ æternâ post hanc vitam & consummationem seculi mactandorum. Hoc sensu de Ecclesia loquitur Apostolus Ephes. 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam & tradidit semetipsum pro ea.* Hæc Ecclesia vocatur πανίσχυς & εὐαγγελιστρὸν εἰς τοὺς δόκιμους, *conventus & cœtus primogenitorum qui conscripti sunt in cœlis* Heb. 12. 23. Hujus Ecclesiæ membra vera, sunt membra Iesu Christi & simul constituunt corpus illud mysticum, cuius Christus est caput & Servator Eph. 1. 22. 23. Eph. 5. 23. 29. 30. Hujus Ecclesiæ nullum est membrum, quod post constitutas à Deo salutares nobis, cum antiquo serpente ejusque semine inimicities Gen. 3. 15. non aut antehac duce Christo militaverit, aut jam militet aut imposterum, contra Diabolum, mundum & propriam carnem suam, Deo militaturum sit Eph. 6. 12. 1 Ioh. 5. 4. Gal. 5. 17. Unde multitudo fidelium in terris viventium, ex regno tenebrarum in regnum lucis translatorum & contra illud bella Jehovæ gerentium, Ecclesia militans usu ecclesiastico appellatur. Ad quam impropriè pertinent hypocritæ, qui sub specie militum Christi in castris Christi Diabolo, mundo ac carni suæ, contra Christum & verè militantem Ecclesiam militant, detegendi suo tempore & præmia factis digna reportaturi. Quædam verò hujus Ecclesiæ membra vel absquè morte tota, ut Henoch & Elias, vel per mortem secundum animam, ut reliqui fideles, ex hoc seculo in cœlum transflata sunt & de spiritualibus hostibus gloriosum triumphum agunt: quæ Paulus ἀνθρώπῳ διηγεῖται πελεμαρινὰ Spiritus iustorum consummatos appellat Heb. 12. 23. Horum cœtus ac multitudo Ecclesia triumphans à Theologis appellatur. Distinctionem illam hujus Ecclesiæ juxta diversitatem status gratiæ & gloriæ in militantem & triumphantem, verbis æquipollentibus tradit Apostolus Eph. 5. 26. 27. Secundò, Ecclesia in Scriptura accipitur pro universitate Ecclesiæ militantis in terra; idq; generatim & speciatim. Generatim accipitur

pitur pro universa multitudine hominum veram fidem & religionem profitentium & ad publicum illius exercitium suis locis ac temporibus convenientium. Ad quam Ecclesiam omnes omnium particularium, per universum terrarum orbem, Ecclesiarum homines pertinent. Quo sensu accipiendo cum dicit Paulus Eph. 3.10. *Vt nota nunc fiat per Ecclesiam imperios ac potestatisibus, quæ in cælis sunt, multiformis illa sapientia Dei.* Et vix alibi hujus significationis exemplum occurret. Hæc Ecclesia externa est & in sensu incurrit, quia homines membra illius, professio fidei, institutio, conventus & privatus publicusque cultus externa sunt & in sensu incurunt: & hæc externa sufficiunt, ut quis huic cœtu annumerari possit. Speciatim accipitur pro universitate electorum in terris militantium seu verè fidelium & regenitorum viatorum. Quo sensu de ea loquitur Christus Matth. 16.18. *Super hanc petram adificabo meam Ecclesiam & portæ inferorum non superabunt eam.* Nam reprobæ & hypocritæ qui in visibili Ecclesia electis & verè regenitis mixti sunt nunquam ut vivi lapides, Christo ejusquæ Verbo & Euangeliō, ut firmæ & immotæ petræ, inædificati sunt, sed portæ inferorum eos & singulos & univerlos nullo excepto vincunt & in æternum exitium dejiciunt. Hæc Ecclesia quo ad formam suam internam per quam à reprobis & hypocritis discernitur, humanis oculis invisibilis ac divinis tantum visibilis est. Utraque hæc Ecclesia rursus distingui potest in Ecclesiam Veteris aut Novi Test. quarum illa hæredi, infanti ac puerο, hæc hæredi adulto confertur ab Apostolo Gal. 4.1. & seqq.

XVII. Tertiò, Ecclesia accipitur restrictius pro Ecclesia externa & visibili, constante bonis & malis, veris & fictis Christianis, idquæ vel in genere & indefinite, vel definitè & designatè pro Ecclesia externa certi alicujus loci. Prioris significationis exemplum est i Cor. 15.9. ubi Paulus de se ait: *Persecutus sum Ecclesiam Dei.* Non enim id tantum Hierosolymis fecit, sed etiam Damasci tentavit, facturus & tentaturus alibi si tulisset occasio: non tamen, Ecclesia postmodum dilatata, persecuturus ubique locorum, qui ubique locorum, præsens esse non poterat. Posterioris significationis exempla sunt passim obvia. Sic enim Paulus gra-

tiam & pacem optat Ecclesia Dei qua est Corinthi, 1 Cor. 1.2. Et aliquando quidem intelligitur ejusmodi particularis Ecclesia congregata: quomodo Paulus ait: Qui prophetat Ecclesiam edificat, 1 Cor. 14.4. Confer & versum 19. 23. 28. Aliquando Ecclesia non congregata: quomodo orta est persecutio adversus Ecclesiam qua erat Hierosolymis, Act. 8.1. & Saulus illam vastabat intrans singulas domos & trahens viros ac mulieris, tradebat eos carceri versu 3. Quartò, Ecclesia accipitur synecdochice, nunc pro Presbiterio ecclesiastico alicujus loci, seu pro corpore Doctorum & Rectorum alicujus particularis Ecclesiaz: quomodo Christus ait: dic Ecclesia: si Ecclesiam audire neglexerit Matth. 18.17. Nunc pro cœtu & corpore auditorum, Doctoribus & Antecessoribus contradistinctorum: quomodo Lucas ait: Quum (Paulus ac Barnabas) advenissent Hierosolymam excepti sunt ab Ecclesia & ab Apostolis ac Presbyteris Act. 15.4. Hęc est significatio vocis, juxta Phrasin Christi, Apostolorum & Scriptorum Iacrorum. Ad quam notandum, primum, corpus multarum particularium alicujus terræ, Provinciæ aut Regni, nunquam nomine Ecclesia, sed semper nomine Ecclesiarum in plurali numero à scriptoribus Iacris designari Act. 9.31. Ecclesia per totam Iudaam & Galilaam & Samariam habebant pacem. 1 Cor. 16.1. Constitui Ecclesias Galatas, 2 Cor. 8.1. Notam facimus vobis fratres gratiam Dei praestitam Ecclesias Macedonum. Notandum secundò, corpus Episcoporum & Presbyterorum alicujus regni aut provinciæ, aut illorum concilium seu provinciale seu nationale seu etiam suo modo oecumenicum vel universale non quam in Scriptura nomine Ecclesia vel Ecclesiarum appellari quamvis juxta phrasin Christi Matth. 18.17. nomine Ecclesiarum venire possit. Interim & corpus Ecclesiarum unius provinciæ aut regni immo & provinciarum aut regnum confederatorum aut unius dominio subjectorum; itemque concilium seu provinciale seu nationale per nos Ecclesia vocari potest, neque de verbis litigabimus ubi de re convenit: modò id firmum maneat, quod ad hujus præsentis & aliorum locorum intelligentiam & explicacionem facit, hujusmodi appellationem ex Scriptura defumtam non esse. Papa autem Romanus non modò negata, sed etiam concelesta mo-

sa monarchia ecclesiastica falsissima hypothesi, nullo colore juxta Scripturam Ecclesia appellari potest, quia Christus aequè Petro ac cuilibet aliorum Apostolorum aut fidelium dixit: *Dic Ecclesie*; quod non est, dic tibi ipsi. Quod si omnino is esset, quem se jactat, potius Christus, cuius vices gereret, quam Ecclesia, quæ ipsi commissa esset, appellandus esset. Nunc verò cum nihilminus sit, optimè juxta Scripturam Antichristus dicitur, i. *Ioh. 4.3.*

XVIII. His præmissis, videndum, de quanam Ecclesia hic loquatur Apostolus? Qua in re variant, tūm Papistarum, tūm alienorum à Papatu Theologorum sententiæ. Papistæ quidem hæc tenus consentiunt, quod hic intelligatur Ecclesia ipsorum Catholica id est Papistica, cuius ipsi sunt membra; & quidem, non in omnibus & singulis membris, sed uti Stapletonus inquit, in suis Magistris & Pastoribus; in quibus Papa ut Petri successor supremus sit Magister & Pastor. Uno verbo intelligunt Ecclesiam Papisticam representativam & virtualem. In eâ verò describenda, non linguis solùm & verbis, sed etiam animis ac sententiis, à se invicem divisi sunt Babylonis structores, dum alii, Curiales dicti, illam Ecclesiam ultimò resolvunt in solum Papam, Hierarchia istius Babylonica caput & Magistrorum ac Pastorum Babyloniorum Principem: alii verò Pragmatici hoc Caput Hierarchicum & hunc supremum Magistrum & Pastorem reliquorum Magistrorum ac Pastorum suorum cœtui subjiciunt, & Ecclesiam istam ultimò resolvunt in Concilium generale, quod supra Papam esse statuunt. Atquè ut imperitoribus & incautoribus fucum faciant, etiam in capitali & fundamentali hoc suo dissensu, consensum suum prædicare solent, quod utrinque in eo conveniat, Papam & generale Concilium, seu, ut dolosè Stapletonus, Magistros & Pastores Ecclesiarum omnes & in his quoquè supremum, esse illam suam Ecclesiam. Quasi verò sic egregius inter illos esset consensus, dum Curiales corpus illud Antichristianum, compositum ex Papa & Concilio volunt esse Ecclesiam, cui competit ecclesium illud, quod sit columna & stabilimentum veritatis, non propter Concilium, quod statuunt per se errori obnoxium, sed propriè propter infallibilem Papam: Pragmatici verò non prop-

ter Papam, quem fallibilem & ab Ecclesia auferibilem statuunt, sed propriè propter infallibile Concilium : eoque fide divina, seu potius papistica, luscipiunt istius antichristiani corporis decreta, alii propter infallibilem spiritum non Concilii sed Papæ, alii propter infallibilem spiritum non Papæ sed Concilii. Hanc controversiam, si Papa ex voto terminet & ex Pragmaticis omnibus Curiales efficiat, magnum suo regno & curia fecerit operè pretium. Nos spiritum vertiginis justo Dei judicio in Babylonios illos Magistros & Doctores, effulsum agnoscimus, à quo, quamdiu Babylone manent, liberari non poterunt. Ex altera parte qui Babylone exierunt, Papisticam hanc expositionem rejicientes, pro dono prophetæ diverso, diversas etiam, attamen reliquis apertis Scripturis & analogiæ fidei congruentes, hujus loci expositiones attulerunt ; quarum aliæ magis singulares sunt, aliæ magis communes & generales. Etsi enim quidam indefinitè de Ecclesia loquantur, alii tamen magis definitè de certa Ecclesia. Plurimi ex illis, per Ecclesiam hic intelligunt Ecclesiam electorum, constantem quidem ex hominibus visibilibus, & coeuntem tempore pacis in coetus visibles, & ibi visibles atquè audibiles cultus divini actus exercendo : attamen in se quoad formam internam humanis oculis invisibilem, Deo autem soli visibilem & notam 2 Tim. 2, 19. Alii rursus Ecclesiam intelligunt externam & visibilem, constantem electis & reprobis, bonis & malis, sinceris ac hypocritis, & nonnulli ex his particularem illam, quæ fuit illo tempore in urbe Ephesinâ : alii non illam, sed potius universalem per totum mundum dispersam. Nos sententiam hac de re nostram, sequentibus aperimus assertionibus.

XIX. *Assertio prima.*: Non prædicantur verba hæc de Ecclesia triumphante, sed militante. Ratio prima quia Apostolus loquitur de Ecclesia in qua Timotheus tum verlabatur & porrò verlaturus erat. Atqui ille non verlabatur in Ecclesia triumphante sed militante. Ratio secunda, quia Apostolus loquitur de Ecclesia, in qua sunt Episcopi docentes ac regentes & Diaconi, adeoque auditores, discipuli & pauperes ; ut patet ex præcedentibus hujus capituli. Atqui, non in triumphante, sed militante Ecclesia sunt

funt Episcopi , Diaconi , auditores discentes ac pauperes . Ratio
tertia , quia columna & stabilitum veritatis dicit respectum
ad oppugnationem & instabilitatem veritatis , diciturque adeo de
Ecclesia , in qua veritas oppugnatur & conservatur atque defendi-
tur , & de tempore quo oppugnatur , conservatur & defendi-
tur . Hæc autem non convenient triunphantis sed militanti
Ecclesiæ . *Assertio secunda* ; Prædicantur verba hæc de Ecclesia
electorum , juxta propositum electionis , ad communionem Dei
in Christo vocatorum . Ratio prima , quia illa sola actu & inver-
itate est ecclesia illa Dei & Christi , in Scripturis decantata , cui ve-
rè , propriè & ad æquatè competunt omnia vera elogia & privile-
gia quæ in Scripturis ecclesiæ tribuuntur : adeoque & hoc præ-
sens . Ratio secunda , quia Apostolus illam ecclesiam propriè di-
cit columnam & stabilitum veritatis , quæ est domus Dei , vi-
vi , ut patet ex textu . Atqui sola ecclesia electorum est domus
Dei vivi 1 Cor . 3 . 16 . & 6 . 19 . 2 Cor . 6 . 16 . Ephes . 2 . 21 . 22 . 1 Pet . 2 .
5 . Hypocritæ verò & impii , in externa & visibili ecclesia , sunt
domus & habitaculum Diaboli & spirituum immundorum , Læc .
11 . 24 . 26 . Ratio tertia , quia hoc elogium competit ecclesiæ
propter peculiarem gratiam , assistentiam & directionem Christi
Regis , Pastoris & Capitis sui per Spiritum sanctum . Atqui hanc
gratiam , assistentiam & directionem per Spiritum sanctum , soli
fideles & regeniti excellentissimo modo habent , qui verè & inti-
me Christo conjuncti sunt , & sunt genuinus ipsius populus , grex
& peculium , imò sponsa , uxor & membra Christi , caro de carne
ejus & os de ossibus ejus . Eph . 5 . 23 . & seqq . Hypocritæ verò &
impii in ecclesiæ , non cum Christo , sed cum Diabolo intimè con-
juncti sunt , nec Christi sed Diaboli subditi , servi & vilissima man-
cipia sunt , Eph . 2 . 1 . 2 . 3 . & 4 . 17 . 18 . 19 . Accedit his rationibus
consensus & autoritas Patrum & Orthodoxorum ecclesiæ Do-
ctorum . Theodoretus in hunc locum ; Domum Dei & Ecclesiæ
appellavit cætum eorum qui crediderunt : eos dixit columnam & firma-
mentum veritatis . Augustinus in Psalmum XLV . de ecclesia ele-
ctorum differens ; Eam , inquit , etiam firmamentum Apostolicis li-
teris appellatam vide & agnosce : quæ est , inquit , Ecclesia Dei vivi , co-
lumna

lumna & firmamentum veritatis. Ex nostris Clariss. Sadeel de verbo Dei scripto in responione ad objectionem decimam quintam. Ecclesia, inquit, illa quam Paulus vocat domum Dei, columnam & firmamentum veritatis, qua audit vocem sponsi & ab ejus ore pendet, ac semper regitur a sancto Spiritu, videri non potest. Credimus autem eam Ecclesiam stare verbo Dei scripto & humanas traditiones rejicere. Astipulatur ex Lutheranis Doctoribus Leon. Hutterus in locis communibus Articulo de Ecclesia cap. 1. non longe a principio, ubi tertiam & specialissimam Ecclesiaz significationem esse dicit, quando pro cetero electorum pieque fidelium accipitur. Et tum, inquit, Ecclesia reple definitur quod sit columna & firmamentum veritatis 1 Tim. 3.15.

XX. *Assertio tertia*, prædicantur etiam verba hæc Apostoli de Ecclesia visibili externa. Ratio prima, quia electi ordinariè non vocantur, nisi in Ecclesia visibili externa, quam & ipsi ex parte, non in totum, constituunt. Ratio secunda, quia in illa Ecclesia sunt Episcopi & Diaconi, auditores & pauperes. Ratio tertia, quia in illa Ecclesia ejusque membris veritas divina oppugnatur & concutitur, foris per tyrannos & hæreticos, intus per corrupta membra & insipientes ac carnales homines, 2 Cor. 11.3.13. 2 Pet. 2.1.2.3. Act. 20.29.30. In illa quoque per electos & piè fideles ex Doctoribus & auditoribus, quin & sæpe per hypocritas ex utroque ordine, Deo malis instrumentis ad bonum utente, in tantum, quantum saluti electorum sufficit, veritas divina, contra omnimes corruptelas & oppugnationes, conservatur & defenditur, Act. 20.28.31. 1 Tim. 1.3.4. *Assertio quarta*. Prædicantur verba hæc de Ecclesia visibili catholica, respectu gentium, temporum & locorum. Ratio, quia quoad essentialia doctrinæ, eandem veritatem rerum credendarum habet de Deo & Christo in omnibus gentibus omnibusque temporibus ac locis Act. 10.34.35.43. Act. 15.11. Apoc. 5.9.10. Heb. 13.8. *Assertio quinta*, Magis tamen proprie prædicantur de Ecclesia catholica Novi, quam Veteris Testamenti. Ratio prima, quia in illa Ecclesia sunt Episcopi & Diaconi, tanquam speciales ministri a Christo & Apostolis instituti. Ratio secunda, quia in illa Ecclesia Timotheus versabatur. Ratio ter-

tertia, quia in illa traditur & docetur illa veritas, quam *versu* 16.
describit & commendat Apostolus: Quæ in Ver. Test. nondum
erat clare cognita, sed obscurius tradita & typis umbrisque præ-
figurata: & futurum sperabatur, quod nunc factum & præteri-
tum annuntiatur. *Assertio sexta.* Prædicantur proinde & de par-
ticularibus ac singularibus quibusq; Novi Testamenti Ecclesiis,
non tantum collective, sed etiam separatis sumtis. Ratio pri-
ma, quia Ecclesia catholica, non nisi in particularibus Ecclesiis,
tanquam suis membris, subsistit. Ac proinde quod de toto simi-
lari prædicatur de omnibus etiam partibus similatibus prædicatur.
Ut quia dico de aqua in genere quod sit humida, id etiam de
qualibet gutta dico: quia de igne quod sit calidus idem de quo-
vis carbone; quia de domo quavis integra, quod habeat funda-
mentum, tectum, parietes & januam: de republica, quod constet
magistratibus & subditis; idem de hac vel illa domo & republica
intelligo. Ratio secunda, quia, non nisi in particularibus quibus-
que Ecclesiis, inveniuntur Episcopi & Diaconi; versantur Ec-
clesie Doctores; & prædicatur, oppugnatur & defenditur veritas
euangelica. *Assertio septima.* Ex omnibus particularibus Eccle-
siis hæc verba maxime prædicantur de Ecclesia Ephesina, quæ fuit
tempore Pauli. Ratio. quia, in illa Ecclesia, Timotheus, ita volen-
te Apostolo, ut Euangelista, versabatur, & præcedentia hujus e-
pistolæ statui illius Ecclesiæ quam maximè accommodata sunt, ut
illam ministerio & conversatione sua ædificare posset Timotheus
nec quæ ibi agenda, emendanda & ordinanda, differret in adven-
tum Pauli, qui forte opinione tardior esse posset. Nihil igitur in
hoc Ecclesiæ elogio privilegii habuit Ecclesia Romana præ Co-
rinthiaca, Philippiensi aut alia quapiam illius temporis; sed præ
Romana, Corinthiaca, Philippiensi aliisque privilegii aliquid in
hoc elogio habuit Ecclesia illa Ephesina: nedum ut præsens &
precedentium aliquot seculorum corruptissima Romana Ecclesia,
ipsius Antichristi sedes, quicquam hic privilegii prætendat! Quæ
si ejusmodi aliquod in commendationem antiquæ Ecclesiæ Ro-
manæ testimonium haberet, quale hoc est in antiquæ Ephesinæ,
quis cultorum & affectorum ejus thraconismos ferret? Et tamē re-

verà nihil plus inde pro summo magisterio & infallibilitate sua posset exculpere, quam prælens hæc Ephesina pro sua, cuius nullam illi infallibilitatem & in alias Ecclesiæ dominandi autoritatem agnoscunt.

Corollaria Respondentis.

- I. **U**T nec Deitas ita nec adorabilitas creaturis communicari potest.
- II. **Q**ua soli Deo propria adeò ut inde vera ac aeterna Deitas demonstrari possit.
- III. Deus non potest creare creaturam alia infinitam.
- IV. An S. Scriptura in rebus ad salutem necessariis sit perspicua & ad Ecclesiae adificationem necessaria? Affr. e. Pontif. Enthus.
- V. An Christus quidquid potuerit peccare? Neg.
- VI. An Deus homines singulares ad vitam aeternam eligat in tempore, an vero ab aeterno? Neg. prius Affr. post.
- VII. An Christus sit aeternus & Patri coessentialis & aequalis Deus, an in tempore factus & Deo Patri subordinatus? Affr. pri. Neg. post. e. Socin.
- VIII. An Christus quatenus homo aut Mediator propriè adorandus Neg.
- IX. An Christus pro omnibus & singulis mortem oppetierit? Neg. e. Pont. Remonst. aliosque.
- X. An sola fide coram Deo justificemur? Affr. e. Pont.
- XI. An detur in secedere gratia plenaria apostasia sanctorum? Neg. e. Pap. Rem. aliosque.
- XII. An detur aliquod peccatum Originale ortum dicens ex prima Adami & Eva transgressione? Affr. e. Pelag.
- XIII. An intellectus creaturarum ad intimam & claram Dei visionem elevari possit? Neg.
- XIV. Limbus patrum, infantum ac purgatorium Papisticum mera ac mania Papistarum figura sunt ac deliria.

F I N I S.